

Joachim Hartmann

Programma, Qvo Sanctissimvm Resvrrrectionis Domini Nostri Et Redemptoris Iesv Christi Festvm : Svmma, Qva Decet, Pietate Celebrandvm, Civibvs Academicis O. O. Honoratissimis Officiosissime Commendat, Simvlqve Illvstris Vaticanii Danielis Cap. IX. 24. Etc. Explicationem, Et Adversvs Viri Illvstris Et Doctissimi, Domini Ioannis Davidis Michaelis, Apvd Göttingenses Professoris Celeberrimi, Cogitata, Vindicias

Rostochii: Literis Adlerianis, [1777?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877638497>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1777. Ostern.

~~M-1256. 1777. b.~~

Op. 1777

PROGRAMMA,
QVO
SANCTISSIMVM
RESURRECTIONIS
DOMINI NOSTRI ET REDEMPTORIS
IESV CHRISTI FESTVM,

SVMMA, QVA DECET, PIETATE CELEBRANDVM,
CIVIBVS ACADEMICIS O. O. HONORATISSIMIS
OFFICIOSISSIME COMMENDAT,

SIMVLQVE
ILLVSTRIS VATICINII DANIELIS

CAP. IX. 24. ETC.
EXPLICATIONEM,

ET

ADVERSVS VIRI ILLVSTRIS ET DOCTISSIMI
DOMINI IOANNIS DAVIDIS MICHAELIS,

APVD GÖTTINGENSES PROFESSORIS CELEBERRIMI,

COGITATA,
VINDICIAS,

PROSEQVITVR,

IOACHIM HARTMANN,

PHIL. ET SS. THEOLOGIAE DOCTOR, CONSISTOR. DVCAL. CONSIL., THEO-
LOGIAE PROF. PVBL. ORD. FACVLTATIS THEOL. SENIOR ET DECANVS,

AD AEDEM DIVI NICOLAI PASTOR, ET SOCIETATIS SCIENTIARVM,

QVAE FRANCOFVRTI AD VIADRV M FLORET,

MEMBRVM,

ACADEMIAE HODIE RECTOR.



ROSTOCHII,
LITERIS ADLERIANIS.

M-1256. 417. b.

THEOPHILUS
R. S. V. R. E. C. T. I. O. N. I. S.
DOMINI NOSTRI ET REDemptoris
IESU CHRISTI FESTUM
STIMULA, QVA DEOCT. HODIE CELEBRABIMUS
CIVILIS ACADEMIE O. HONORABILISSIMIS
ORDINATIONIBUS COMMENDAT
ILLUSTRIS VASSICINI DANIELIS
CAMELII
EXPLICATIONEM
ADVERSUS VRI ILLUSTRES ET DOCTISSIMOS
DOMINI IOANNIS DAVIDIS MICHAELIS
AVD OBTINENTIS THEOLOGICI CESSERIND
COPULATA
VINDICIA
IOACHIM HARTMANNI
HUIUS ET THEOLOGICI DOCTORIS, CENSURAE, DOTAL DONALIS, THEO-
LOGIAE FACUL. EAD. FACULTATE THEOL. SENIOR ET DECANUS
AD ACADEMIAE MICHAELI FACUL. ET SOCIET. THEOL. SOCIETARIUM
QVAE REANNOUATI AD FACUL. THEOL.
MEMBRUM
ACADEMIAE HODIE RECTOR
ROSTOCKII
LITTEIS ADRESARIIS

117-1220
117-1220



Q. D. T. O. T. M. F. E. F. E. C. I.



Qui memoriam sanctissimae Passionis et mortis Domini nostri et Redemptoris IESU CHRISTI proxime elapso tempore mente recolimus, per Dei gratiam hodie Resurrectionis Θεοανθρώπου Festum summa celebramus animi laetitia. Quis enim est ex nostra Civitate, imo ex totius Ecclesiae Christianae membris, qui non ex Resurrectione Redemptoris summo perfusus gaudio intelligat, esse eam sigillum plenissimae Christi Satisfactionis pro nobis praestitae, et testimonium divinum de nostra cum Deo reconciliatione certissima, atque omnibus numeris perfecta, atque completa, ut omnes et singuli homines ea, omnibusque in nos inde redundantibus fructibus, per fidem frui possint? Quis est, qui ignoret, esse invictum argumentum nostrae per fidem justificationis, hinc adoptionis, et omnium beneficiorum, quibus reconciliatos Dei filios in hac et futura aeterna vita ornare et cumulare infinita Dei benignitas et Φιλανθρωπία clementissime intendit, eoque spectantia summa nobis promissa dedit? Agite ergo, Cives Academici, O. O. Honoratissimi, facite, nec quidquam sit, quod in agendo vestram promptitudinem et voluntatem praepediat, summam vestram, ex Resurrectione Christi e mortuis, felicitatem et beatitudinem



tudinem perpendite, ea Vestra mente perpendite et aestimate, quae Totos Vos Redemptoris esse arguat, qui sanguine suo nos redemit, et propter Iustitiam nostram resurrexit. Non exiguum, arbitror, Vestris in hac causa meditationibus commodum vel auxilium praestitutum est Vaticinium, quod Danieli Angelus a Deo missus annuntiavit, cujusque, publicato ad Festum Nativitatis Christi Programmata, illustrationem et adversus *Illustris Dni MICHAELIS* cogitata Vindicias suscepimus. Est enim ipsa e mortuis Redemptoris nostri Iesu Christi Resurrectio complementum istius Vaticinii, et singularissima, per Christum ea, quae Angelus v. 24. nuntiavit, omnia perfectissime praestita esse, divina demonstratio. Subsistimus nunc in eorum explanatione, quae citato versu 24 habentur, postquam, quae praemonenda videbantur, ante trimestre evolvimus.

§. I.

Quatuor sibi Vir Ill. MICHAELIS, in enodando, ut ipsi videbatur, v. 24. vaticinii dicti, proposuerat evolvenda 1. *Ponderanda* singula verba, quorum lectionem dubiam esse arbitrat. 2. *Decidendum*, an, quae hoc versu praedicuntur futura, bona speranda sint, an timenda mala? 3. *An currentibus* LXX hebdomadibus, an post earum decursum implenda sint? 4. *A quo* termino inchoandae sint LXX hebdomades. Sequamur in his Virum Illustrem, et κατὰ πόδα sequamur, ut ne quid extra nexum dixisse videamur, aut refutasse, quae Viro in mentem non venerint. In eo Vir Ill. nobiscum sentit, quod hebdomades annorum intelligendae sint, quod et nos stabilivimus Programmata priori (§. I.) Nec tamen possumus, quin digito monstremus illustrationem nullius momenti quam Vir Ill. termino *hebdomadam annorum* germanico *Jahrwochen* addidit. Cui singularis, inquit, terminus videtur germanicus, is meminisse debet, germanicam linguam non habere terminum, quo adaequate exprimitur hebraeum שבע vel graecum et latinum hebdomas. שבע significare dicit eine Sieben, absque determinatione an dies designentur an anni. Quis non miretur! שבע quamvis ratione aetymy descendat a voce, quae septem significat, tamen nunquam aliud quidquam significavit, quam tempus septem diebus

diebus constans, hebdomadem. Verba valent ex usu sicut nummi. Vox autem quae diem significat, quondam etiam annum significabat, idemque non apud hebraeos solum verum apud alias quoque gentes. Hinc ex diversitate dierum diversitas hebdomadum. Si per diem intelligitur tempus 24 horarum, tum complexus septem dierum facit hebdomadem communem, hebdomadem dierum dictam *Dan. 10, 2. 3.* Si per dies, quibus hebdomas constituitur, intelligendum est tempus anni integri, tum hebdomades sunt propheticæ, sunt hebdomades annorum, qui recte et scite germanice exprimuntur per *Jahreswochen*. Verum haec obiter. Quomodo circa verbum נחמך versatus fuerit Vir Ill. id jam vidimus ad finem Programmatis prioris. Progredimur itaque nunc ad reliqua. Id autem egregie evenit, quod circa numerum 70 hebdomadum nulla disceptatio, controversia ex Variantibus nulla. Totum itaque, de quo sermo est, nulla lectione varia dubium reddi potuit, nulla corruptela disturbatum.

§. 2.

Determinatae itaque sunt hebdomades septuaginta, et ita quidem determinatae, ut in certas divisas partes, singulis sui designati partibus sint eventus. Determinatae, decimae, sunt super populum Danielis, super populum Iudaicum, et super Civitatem sanctam, nimirum super Hierosolimam. Ut consummerur praevaricatio: לְכִלְיָא רַחֲשָׁע. Fateor consummationis ideam non aequè apte huc applicari posse, ac altera illa cohibendi notio, quam etiam Commentatores adhibuerunt. Namque aequivocationem aliquam consummationis idea involvit, hinc ita determinanda est, ut finem designet rei, qui significatus interdum quoque termino consummationis additur. At recte monent Commentatores, ea si exprimenda fuisset sententia, potius cum ה scribendum fuisse verbum, et Ill. Dominus MICHAELIS recte monuit, insolitam tamen fore dictionem. Versiones, quae consummationis ideam sequutae sunt, quas excitat Vir Ill. etiam a *Christiano Bened.* MICHAELIS, in uberioribus annotationibus ad h. l. adductae, et excussae, sunt. GEIERSVS etiam aliquot Germanicas, et Belgicam, versiones excitavit, qui et ipse cohibendi significatum praestulit, quem quidem omni-



no etiam nos, tanquam unice locum habentem, acceptandum statuimus, facile Ill. Viro MICHAELIS consentientes. At cum termini ^{עֲשֵׂה} significatum ad idololatriam restringit, in eo non adsentimur. Quamvis enim specialem aliquando rebellionem denotare terminum non negemus, idololatriam tamen esse proprium significatum, qui cum termino conjungendus, et hoc quidem loco eligendus, sit, ejus nulla praesto habetur ratio. Id arbitrator satis distincte docuit GUSSETIVS *Comment Ling. Ebr. ad h. v.* quod et vel ex solo *Ies. 53, 5. 8.* intelligi potest. Praevaricationem omnem exprimit, neglectum officii debiti. Ut nec ad voluntarium et ex prae fractae mentis deliberato animo ortum restringere ausim. Sed facile videat quisque, qui ad intentionem Viri respicit, cur Idololatriam intelligi velit. Cum enim in hoc loco beneficia morte Christi parta videre nolit, et septuaginta hebdomades ad expugnationem Solymorum, per Pompejum M. finitas velit, quomodo haec verba vaticinii impleta statuere possit non cernens, respicit ad Idololatriam in populo cessantem. Et non negandum, fuisse doctos et integerrimos Viros, qui cessantem statuerent. At erratum subrepsit ipsis, quod et Libri Maccabaeorum testantur, et adsertum Apostoli, *1 Pet. 4, 3. coll. 1, 1.* Cohibuit autem sanctissimus Redemptor peccatum, eo, quod a reatu et dominio peccati libertatem merito nobis suo acquisivit, et misso Spiritu sancto in corda fidelium, eos immunes praestat a lege peccati et mortis, *Rom. 8, 2.* etc.

§. 3.

Sequuntur verba ^{וְלִהְיוּ לְהַחֲמִי} in quibus, quamvis sint vera lectio, variantem tamen sine ratione eligit Vir illustris scribens ^{לְהַחֲמִי}. Deinde aliam Variantem in altera voce adoptat, et legendum vult absque ^{וְ} pro ^{וְלִהְיוּ לְהַחֲמִי} substituens ^{וְלִהְיוּ לְהַחֲמִי} vocemque eam per sacrificium piaculare, explicat. *Primo* observo in omnibus, quas hoc loco et in superioribus attulit Vir, non esse ullam Variantem, vel textus Originalis, vel a Versione aliqua repperitam, quae jam non sit omnibus nota, quamque non apud *Chr. Ben. MICHAELIS*, vel tanquam *Keri* infra textum, vel in ejus *Annotationibus*

tationibus citatis jam invenias, et maximam partem etiam apud alios interpretes, ut nihil suo studio quaesitum in his apud Virum illustrem deprehendas. Etiam quod de sacrificio piaculari dicit, non novum est, sed a Commentatoribus non admissum, nec prolatum, quia eadem responsione tollitur, quam illi ZELTNERO opposuerunt, qui pro sacrificio terminum $\Psi\Omega$ intellectum volebat. Nimirum de tollendis Sacrificiis demum sermonem esse v. 27. Hinc hoc loco de iisdem tollendis non esse sermonem. Cum autem Vir Ill. non obsignandi, nec finiendi, vel complendi, vel abolendi, significatum hoc loco admittit, sed *perficiendi* termino eam vult tribuere ideam, ut significet Sacrificii oblationem, et phrasi, quam fingit, *perficere Sacrificium*, Lectorem occupare vult; istae artes nihil quidquam juvant Viri hypothesin. Namque debuisset ad minimum unum vel alterum locum biblicum producere, ex quo phrasin suam probare possit, sive ex exemplis biblicis ostendere debuisset, oblationem sacrificii his verbis exprimi. At de eo est altum Viro silentium. Imo nullus est locus biblicus in quo vel קרבן , vel קרבן , vel קרבן de sacrificiis adhiberetur, vel de iisdem complendis, vel completis, vel ferendis, vel offerendis. Ut fallacem nobis imaginationem, et vana praejudicia, Vir Ill. vendat, dum ejusmodi effecta nobis obtrudit. Nec quidquam juvat blanda lectoris allocutio. Nec enim nobis, nec ulli lectori, permissum est, blandis allecamentis a veritate seduci vel Apostolo, vel Angeli de coelo praedicante falsa Gal. 1, 8. 9. Ejusmodi blandimentis imprudentem capere velle lectorem, hoc est, efficere coecum in via errantem. Deut. 27, 18. Adsit Dnus MICHAELIS, et evincat usum verbi קרבן , ad denotandum sacrificiorum Leviticorum, vel oblationem, vel completionem oblationis, in Scriptura Sacra adhiberi, quod ubi non potest praestare, meminerit ex saniori Logica, non licere pro arbitrio terminorum significatus mutare, atque id in Scriptura tanto minus licere, quanto magis cavendum nobis est, ne nostros, eosque arratorio effectos, conceptus substituamus pro divinis. Nunc cum eadem principia logica et hermeneutica praecipiant, talia esse praedicata qualia a suis permittuntur sub-

jeclis,



jectis; inde continuo nexu sequitur, non posse hoc loco per תנאׇן intelligi sacrificia, vel in singulari sacrificium piaculari, quia adjunctum habet praedicatum cum תנאׇן non conjungendum, nullibi Scripturarum conjunctum. Hinc est, quod b. CHRIST. BENED. MICHAELIS, quamvis variantes a Viro Ill. adductas, s. Keri, textui subjecerit, in Annotationibus tamen eas prorsus neglexerit, tanquam spurias, non adhibendas, ideisque connexis non respondentes. Retinendus itaque est significatus peccati huic termino tribuendus. Et quamvis verum sit, quod interpretes adnotarunt non multum differre sensum, sive תנאׇן legatur, sive תנאׇן, cum tamen omnes editiones, praeter unicam quam allegavit Vir Ill. Complutensem, priorem servant lectionem, eamque etiam habeant Ebraeorum Doctorum editiones, quarum tres mihi ad manus sunt *Abarbanelis*, *Manassis*, et *Akibbae*, qui notata posteriori voce tanquam Keri, priorem, tanquam lectionem textus, retinuerunt; nulla ratio est, cur priorem lectionem deseramus. Quod a versionibus ad Originalis Textus codicem, qui ita legat, eum, quem Interpretes prae manibus habebant, conclusio non valeat, sed tantum, quod eam lectionem veram judicaverint interpretes, vel etiam pro suo, quem sibi cogitaverant, sensu loci interpretati sint, versionemque formaverint suam, vel quod in codice ita legerint, hinc disjunctive tantum, concludi possit, adeoque pro tertio membro conclusio formari nequeat, nisi probatum sit Codicem ejusmodi Originalis Textus prae oculis habuisse, id jam aliquoties monui. Qui aliter statuunt Paralogismis obruunt semet ipsos atque lectores, qui pro hodie Criticis Nostri proprius est agendi modus, pro quo, omnibus sanae rationis principiis adverso, conservando, nihil habent, quam ut, qui coecutire cum ipsis nolint, pro hominibus indoctis, non criticis, clament, traducant. Interim crederem eum utrumque significatum posse conjungi, ut תנאׇן significet ad finiendum, ad consummandum, ad abolendum, peccatum, atque hinc ad obsignandum, tanquam cujus nulla usque memoria recolenda sit. Cum de coetero Vir Illustris arbitratur, novam suam versionem textui esse accommodam, hoc falso Virum arbitrari, jam satis evicimus, repugnat enim usui biblico et ideis connexis.

Ut

Ut nunc non moneam convenientiam cum textu nondum esse principium pro sensu aliquo demonstrando, quod ex principis hermeneuticis cuiusvis cognitum esse debet. Quare nec hoc, admissum quoque, causam Viri juvaret.

§. 4.


Duo verba, quae haecenus legimus actus divinos duo expriment. *Unum*, quo per gratiam *convertentem*, et *regenerantem*, atque *sanctificantem* Deus in nobis peccati vim cohibet: *Alterum*, quo per gratiam *justificantem* in foro divino reatum peccati aufert. Unde ingentia per Christi meritum nobis parta beneficia divina hic recenseri censendum est. Porro nunc per Angelum explicatur principium meritorium, quo haec divina nobis gratia acquisita est, reconciliatio nostra cum Deo, et peccatorum nostrorum facta expiatio per Christum וְלִכְפֹּר עֵוֹן. Christus enim cum se ipsum pro nobis Deo tanquam sacrificium expiatorium offerret, eo ipso promeruit, ut et gratia convertens, hinc regenerans, nobis concederetur, ut ipsius meriti participes reddi possemus, idemque hinc nobis imputari posset, et sic peccata nobis condonarentur, non imputarentur, cuius unica in expiatione Redemptoris ratio habetur. Sic itaque ordine suo beneficia haec in Christo et per Christum nobis exhibita recensentur, ut regressus fiat a sanctificatione ad justificationem per fidem, et ad hujus principium expiationem, factam per Christum. Quae si a principio velis deducere, quod in proposita serie ultimum est, concipiendum est tanquam primum, et quod primum est tanquam in serie, qua existentiam nanciscitur, concipiendum est ultimum, cuiusmodi modum proponendi in negotio salutis, plus simplici vice in Scriptura Sacra deprehendimus, cuius exempla legas I *Tim.* 1, 5. I *Pet.* 5, 10. In his quamvis nihil difficile, plana omnia sint, Vir illustris tamen, quia sensit, id suo Systemati non satis bene respondere, et semel sibi sacrificia piacularia imaginatus fuerat, gratum sibi invenisse arbitratur commodum, in unica lectione variante, quam Dnus *Kennicot* produxit, ubi praefixum Vav ommissum est. Tamen enim, si ea lectio adsumatur, connecti hanc dictionem cum proxime antecedenti, putat, tanquam finem cum sacrifici-



eiis connexum, scilicet expiationem peccatorum per sacrificia piacularia. Ut ne quid de satisfactione Christi, ejusque expiatione peccatorum nostrorum, in hoc loco reliquum maneat. Ita praejudiciis semel obrutus Vir Ill. semper in pejora incidit. *Primo* non possum non Viro Illustri, qui suam Variantium collectionem, etiam ex Versionibus inaniter repetitam, tantopere evexerat, ut Interpretes propter earum neglectum vituperaret, obvertere, cur Variantes *Graecorum* et *Arabum*, non adduxerit, qui duplicem hic habent sententiam: *Et ut deleantur iniquitates, et expientur iniquitates.* Eas *b. Christ. Ben. MICHAELIS* allegavit *l. c.* Nonne isthac omissione funilem facit ipse Vir eam suam superiorem exprobatorem interpretibus objectam. *Secundo* non minus inutilis est modus agendi, unicum codicem, ejusque lectionem, et eum quidem codicem, cujus neque antiquitatem, neque auctoritatem, neque alterutrius characterem, codici inesse, demonstrare noverit ullus, ejusmodi codicem, unicum, omnibus reliquis, et Codicibus, et Editionibus, opponere velle, in eo, inquam, indignus Viro habetur agendi modus, qui frivolum, et veritati non amicam, designat mentem. Quod cuivis satis obvium hic ulterius deduci nihil opus est. *Tertio* si verum est, absente Vav poni veram lectionem, quae dictionis hujus sententiam cum priori ita connectat, quemadmodum vult Vir Illustris: Atque, ut in confesso est, reliquae omnes dictiones hujus versus iterum Vav praefixum primae vocis habent; sequitur, ut omnes reliquae dictiones cum praesenti sint conjunctae adeoque cum eadem in eodem nexu sint cum sacrificiorum oblatione. Sacrificia itaque expiatoria offeruntur ad reconciliationem nostram cum Deo, *et* ad adducendum justitiam aeternam, *et* ad obsignandum visionem et prophetiam, *et* ad unguendum sanctum sanctorum. Quae est ex omni parte inepta sententia. Quamvis enim typicam et ministerialem expiationem sacrificiis horumque oblationi non denegemus, quomodo tamen aeternam adducere justitiam possint, quomodo Sancti Sanctorum unctio ad sacrificia pertineat, et, tanquam finis per sacrificia, tanquam per media, obtinendus, haec cuncta poni queant, ejus ullum sanum posse formari conceptum negamus: Namque non primum modo negat distincte Apostolus, *Ebr. 10, 1. 2. 3. 4.* sed et ullo

ullo modo dici nequit, quomodo per sacrificia expiatoria visio et prophetia, absolute dicta, impleatur, et obfignetur, et Sanctum Sanctorum, quomodocunque conceptum, *ungatur*? Unde sumpta ea, quam suae hypothesei accommodam, sine tamen stabilitate ratione, censet *Vir illustris*, lectione, absque praefixo 1 verbo לכפר ab initio addito, nonnisi maxime incongrua oriuntur. Vir

III. id omnino non intellexit, alias ut pro spuria istam declararet lectionem se commotum sensisset, cum *ἀόυσαρα* Scripturae et nuntio divino tribui nequeant. Spuriam itaque atque ineptam eam lectionem, omnino rejicimus: Eamque rejiciendam esse etiam naturalis dictionum nexus manifesto docet. Recensentur enim quavis propositione beneficia singularia et specialia, quae ante LXX hebdomadam decursum expectanda erant, hinc quemadmodum reliquae dictiones omnes cum prima per 1 connexae, et in eadem ad LXX hebdomades relatione, exprimuntur, omnino etiam hanc dictionem et propositionem cum 1 exprimendam fuisse, patet, adeoque manifestum est, ejus omissionem sphalma esse codicis, qui illud non habet, incauti descriptoris. Unde eam futilissimam variantem omnino Vir *III.* acceptare non debuisset. *Quarto* cum ex hac variante Dnus MICHAELIS expectat, pro sua, ad comma praecedens adhibita, falsa hypothese de sacrificiis Leviticis iterum introducendis, commodum; ea spes, hinc et inanis ratio, hanc variantem acceptandi, sublata est, postquam ostendimus de sacrificiorum Leviticorum oblatione in propositione praecedente omnino sermonem non esse. *Quinto* sane ea de sacrificiis Leviticis sententia pessime refertur ad LXX hebdomades, cum a. *Iam oblata* Solymis dudum erant sacrificia illa, antequam terminus a quo LXX hebdomadam, v. 25. indicatus, existentiam obtinuerat. Iam enim ipso primo anno Cyri et mense quidem septimo sacrificia Deo offerebantur Solymis, jam ante offerebantur, quam ipsa templi fundamenta posita erant. b. *Quodsi itaque* vel ipsum tempus, quo angelus Danieli nuntius has promissiones attulit, pro termino a quo sumeretur, quod tamen fieri posse negavimus, (*Progr. priori* §. 9.); Quid, quaeso, LXX hebdomades ad sacrificia, quae jam anno ab hoc termino a quo secundo, offerebantur. Inepta ejusmodi sententia totum pervertitur, imo



evertitur, Oraculum divinum. Quis ferio agi crederet, cum de rebus quae stante biennio implenda sunt diceres futuras esse intra quingentos annos? Absit ejusmodi de vaticiniis cogitare per Angelum e coelo ad mandatum divinum nunciatis. De expiatione itaque per Redemptorem praestanda sermo est, quae septuagesima, a termino a quo LXX hebdomadam, praestita est hebdomade, atque de alia quacunq̄ue re sermonem esse, nemini, nisi qui veritatem cernere detrectat, in mentem venire potest.

§. 5.

Sequitur *quartus* eventus, beneficium ex Redemptore sperandum quartum וְלִהְבִּיא צֶדֶק עֲלֵמֵינוּ. Nullam Vir illustris hic se edisserit deprehendisse Variantem. Miror cum b. saepe dictus MICHAELIS, tamen habeat Syrum, qui ita vertit: *Ad adducendum justitiam*, QVAE EST AB AETerno, quae omnino diversa est sententia: quasi diceretur מֵעוֹלָם. Et eam versionem arbitror et ipsam Viro Ill. dedisse occasionem in eam incidendi sententiam, quam suam dixit. Cum enim aeterni notionem viderit in Scriptura Sacra interdum longinquum designare tempus, et terminum מֵעוֹלָם a seculis, a longinquo tempore, vetustum exprimere, eam notionem huic tanquam suae hypothefi, Christum ex hoc Vaticinio eliminanti, propitiam arripuit et vertit: Ut antiqua reducatur justitia. Ea est non raro nostrorum vanitas Criticorum, ut, quod apud alios invenerunt, pro repertis suo Marte venditent. Verum quidquid horum sit; novus hic noster interpret fallitur. Fallitur non una, fallitur plus simplici ratione. *Primo* Textus habet וְלִהְבִּיא Vir illustris vertit, quasi textus haberet לְהַשִּׁיב ad reducendum, restituendum, wieder herzustellen. Falsa est versio ista, cui textus repugnat. Hinc vertendum, ut OSIANDRI versio habet, initio *Progr. Prioris* adducta, et ut adducatur Iustitia sempiterna, vel, et ad adducendum justitiam sempiternam. Non enim significat terminus restitutionem alicujus rei, quae jam quondam exsisterat, at abolita erat, nunc autem iterum producenda. De eo nihil textus habet. Sunt ea cogitata ex praejudiciis et
prae-

praeconceptis opinionibus. Sunt sensus textui illatus, intrusus, de quo non modo textus filet, sed qui etiam textui repugnat. *Secundo*, quod modo diximus, jam refutat alteram Viri illustris opinionem, quae antiquam iustitiam reducendam vult. Si enim textus de nulla restitutione, reductione, loquitur, nec potest sub termino עולמי־אנטי antiqua iustitia intelligi. *Tertio* cum restitutionis hic mentio in Textu nulla sit; nihil quidquam tempus quoddam quaerit Vir *III.* determinandum, quo isthaec iustitia floruerit, quam reducendam docere vult. Ut enim non dicam nunc de transgressionibus legis divinae universalibus in eo, quod in locis excelsis et montibus sua Deo offerebant sacrificia, etiam Samuelis et Davidis tempore, prouti ex integra horum historia biblica cognoscitur; In nihilum tandem redit omnis opera ejusmodi tempus quaerendi, quia non de restitutione veteris iustitiae sermo est, sed de adducenda iustitia Redemptoris, quae et infinitum valorem habet, et fructus in nos, salvo ordine fidei, redundantes in aeternum non cessaturos, *Ebr.* 9, 12. 10, 14. Nec ullo loco eam Scriptura Sacra proponit doctrinam, quod iustitiam, quae tempore Samuelis, vel Davidis, vel ullius Patriarchae, vigerit velit iterum reducere Deus, sed ipsos Patres docuit iustitiam Redemptoris, tanquam fontem salutis unicum, *Ier.* 23, 6. *Iud.* 5, 11. Imo, quid quaerimus Davidis temporibus vigentem iustitiam, si non est ea, quae futuri est Redemptoris, quam fide, ut reliqui Patres, sic etiam David, sibi adpropriavit, per eandemque iustus coram Deo declaratus fuit? *Pf.* 32, 1. etc. coll. *Rom.* 4, 4. etc. *Pf.* 89, 17. Quid quaerimus, inquam, tempore Davidis iustitiam per fidem, cum non alius tum, quoad essentialia, iustitiam et salutem obtinendi modus fuerit, quam qui Novi Testamenti, *Act.* 15, 11. et illustrior est Christianorum status fidei, quam ut temporibus Davidis aequalis doceatur in Scriptura, *Sachar.* 12, 8. Producat, vel unicum locum Scripturae Vir *III.* in quo de iustitia hominibus concedenda eadem locutio deprehendatur, et ex quo evidenter doceamur pristinam patrum iustitiam reducendam esse. Quod cum praestare non possit, ne sibi licentiam capiat futes et inanes nobis obtrudendi conceptus et inventis, quibus infidelibus se gratum praestare



possit non Ecclesiae, non veriori doctrinae, ex ingenio proprio effectis, Oracula divina de Christo praecipiente obscurandi, vel ex iisdem Christum eliminandi. Quod quidem in praesenti commate factum tanto minus iustum est, cum et ipse Vir illustris fateri debeat, interpretationem a Theologis nostris receptam, iure meritoque receptam, grammaticae regulis probe consentire: Grammaticam autem interpretationem ita nostri Critici extollant, et ut *unice veram* praedicent, ut et analogiae, dictorum Scripturae et fidei obliviscantur.

§. 6.

Progredimur ad quintum beneficium ab angelo Danieli nunciatum וְנִבֵּי חֲזוֹן וְלַחֲזוֹן quod est obsignatio visionis et prophetiae. Per *impletionem* explicavit obsignationem BOSIANDER (P. P. §. I.). Eamque lectionem cur deseramus nulla habetur ratio. Vir Ill. Dnus MICHAELIS, circa haec verba versatus, diversas vocis significatus, huc non adplicandos, remover, atque docet, non posse hoc loco designari *obsignationem* eo sine factam, ut res non amplius memoretur, simili explanatione ei, qua usi sumus (§. 3.), quem tamen significatum ad negationem *lectionis* prophetiae restringit, ut nemo eam ante legat, quam impleta sit: Porro obsignationem designare eam prophetiae intelligendi difficultatem, qua similis fiat prophetia scripto obsignato, quod legere non possis: Tandem eam obsignationem designare posse cessationem prophetiae. Et his praemissis denique eam suam mentem docet, qua impletionem Visionis et Prophetiae, innui, statuit. In quibus omnibus facile nos consentientes habebit. Eam autem sententiam, cum apud Commentatores nostros abunde propositam legat, quamvis suo calculo confirmet, animo tamen, communes interpretes fastidiente, amplexari non voluit, nisi novum, rarum, eximium, Variantium fulcimentum adplicari possit. At! feliciter hoc etiam evenit, quamvis non adsit Codex, tamen praesto est *Syriaca* Versio, itemque, cum HIERONYMO, *Vulgata*. Namque nunc secundum indignissimum iam supra (§. 3.) reiectum argumentandi modum conclusio infertur quod et Interpres Syrus, et Latinus, et Hieronymus, *lectionem*

nem eam non habuerint, sed legerint וְלִהְיֶה. Quodsi, quaeſo, de tot Seculi noſtri doctiſſimis Viris, qui eundem completionis conceptum vindicant, atque ſtabiliunt, ſurgere quis vellet et adſeverare, quod hi omnes docti Viri Codices habuerunt, qui legerint וְלִהְיֶה, quid reſponſurus eſſet Vir Illuſtris? Riſum, certe, teneatis amici! Ita profeſſo riſum excitat iſthaec vitioſa Paralogiſmi conſuſio. Syrus et Latinus et Hieronymus reſpexerunt verum ſenſum, et ſecundum verum ſenſum rationabiliter interpretati ſunt. Notavit autem b. MICHAELIS l. c. in exemplaribus nullam eſſe diverſitatem, variantem lectionem nullam. Cumque et Graecus Interpres et Arabs ita habeat, quamvis Syrus et Latinus tranſtulerint, et (ut) *impleatur*; lectioni receptae inhaerendum. At tamen in iis Viro Ill. facile adſentimur, quae adverſus HOVBIGANTIVM diſputat, qui ex futili ratione, Prophetam non poſſe obſignari, temeritatem textum corrigendi incurrit pro וְנִבְיָא ſcribens וְנִבְיָא. Sententia HOVBIGANTII fallit. Obſignationis idea non ad Chriſtum modo ſummum Prophetam, ſed ad fideles quoque non ſemel in Scriptura Sacra adplicatur, *Ioh. 6, 27. 2 Cor. I, 21. Eph. I, 13.* Et cum Vaticinia implemento obſignantur, eoque indubitatum et inſallibile redditur, eſſe Oracula divina, eodem eventus complemento etiam indubium redditur Prophetam eſſe verum Prophetam, ex Spiritu divino loquentem, obſignatur Propheria. Idemque conceptus ad modo citata loca levi mutatione, quoad obſignandi modum, facile adplicabitur. Habet autem aliam adhuc Vir Illuſtris Variantem lectionem, ex *Codice Caſſellano* deſumptam ubi pro וְנִבְיָא legitur הַנְּבִיָּא, eamque lectionem tanquam egregiam commendat, eximio, decenti, convenienti, et proficuo connexis ideis, modo ſenſum mutantem et illuſtrantem. Quis non arrigat aures Pamphilus! At! Oritur monſtrum! *Codex Caſſellanus* pro וְנִבְיָא legit הַנְּבִיָּא: Sic ſenſus foret docente Ill. Dno MICHAELIS, ad obſignandum Viſionem Propheriae. Legunt autem Editiones omnes ſtatim abſolutum in וְנִבְיָא, nunc fingitur ſtatus conſtructus. Et ad unicum exemplar clamare omnes in menda jacentes hoc frivolitatem docet, non ſoliditatem. Hinc nulla ſunt, quae rara admiranda commendavit Vir Illuſtris.



Illustris. Velim intelligat vel hoc exemplo, quid ex Scriptura formaverit ingenium mendax humanum, negato, quod vocales sint coeavae. Et quid his omnibus tandem tantopere novi obtinetur? Ha! applicari potest sententia ad Ieremiae Vaticinium de 70 annis Captivitatis, et tum sequuturae liberationis, nunc implendum! Miserum inventum cui jam respondi (§. 4.). De 70 hebdomadibus 490 annis loqui velle angelum, et intelligere res intra tria semestria implendas, quis crediderit! At sunt homines, quibus sua perplacent, non quod in se meliora sint antiquis, sed quia sua sunt, nova sunt, ergo necessario, ut ipsis videtur, antiquis meliora. Si ita statuum esset, longe melius cohaereret IVNGMANNI sententia, quae v. 24. hebdomades intelligit communes, quam refutavi *Syst. Chron. Bibl.* §. 148. Illustrior longe est nostra sententia. Complementum enim Vaticiniorum de Redemptore, Messia, Vaticiniorum, quae ulla facultate animae divinandi naturali attingi nequeunt, cum personas in Deitate et Regnum Christi, et Regnum gratiae, ex libera Dei voluntate stabiliendum, de quibus ulla ratio praecipere non poterat, respiciant, horum profecto Vaticiniorum complementum Visiones, et Prophetias, tanquam divinas ipsosque quoque Prophetas, tanquam divino Spiritu actos, obsignat. Caeterum ad complementum Vaticiniorum de Christo, id ipsum confirmans, adhiberi merito potest effatum Christi, *Matth.* 11, 13. *Luc.* 22, 37.

§. 7.

Sequitur ultimum Vaticinii hujus versus comma **וְלִמְשִׁיחַ**
וְקָדְשׁוֹ קָדְשׁוֹ. Disputat hic non ex ulla Variante, sed ex suis conceptibus Vir Illustris. Vult intelligendum esse sanctuarium, Templum, cum omnibus suis Vasis Sacris. Ego *Primo* edificii cuperem, cur hoc loco non ulla de Variantibus ex *Versione* effectis Viro Illustri mentio sit? Secundum enim concludendi consuetum modum a diversitate in *versione* ad *diversam* lectionem in *textu Originali* illius Codicis, quod in *Interpretis* manibus fuit, dicere debebat, Syrum legisse **וְלִמְשִׁיחַ** transtulit enim verba, et ad *Messiam, Sanctum Sanctorum*. Verum *haec* lectio non erat ad palatum. Ut pro arbitrio suo

fuo Variantes effingere nostros Criticos videas, et pro arbitrie suppressere. Magnopere interim optassem, vel unicas Vir illustris b. CHRIST. BEN. MICHAELIS ante contulisset adhibita ingenii sui acie egregias *Annotationes in Danielem*, certe non dubito locum facturum fuisse veritati, nec futurum fuisse, ut in sententiam incideret sensu destitutam. Namque ex ipsa Iudaeorum confessione stante templo secundo nullum fuit Oleum sanctum, quo sanctuarium unctum sit, vel potuerit ungi. Testatur id est ex Iudaeorum confessione LVNDIVS in den alten Jüdischen Heiligthümern p. 159. Testatur est DNUS FRIDEAVX in N. und N. Fest. in einer Connexion ff. Th. 1. B. III. p. 201. excitans Doctores Ebraeos in *Talmud Hierosolymitano* in *Taanith* c. 2. confessos *Oleum sanctum*, stante templo secundo, fuisse nullum. Quid ergo? Num Angelo tribuendae sunt voces mente cassae? Nullatenus. At de sanctuario, et connexis, verba intelligi nullo modo possunt, quia nullum fuit stante templo secundo oleum sanctum. Ergo nihil remanet, quam explicari de Christo, qui est Sanctorum Sanctissimus *Ebr. 7, 27*. Caeterum parum refert, an in *Masculino* transponere velis, et Sanctus Sanctorum ungatur, an in *Neutro*, Sanctum Sanctorum. Namque etiam Angelus Gabriel is ipse, qui Danieli nuntius divinitus missus est, etiam in neutro genere Christum dicit τὸ ἅγιον *Luc. 1, 45*. Quoad sensum autem nemo nisi Christus intelligi potest, qui unctus est Spiritu Sancto, oleo lactitiae, sine omni mentura, *Pf. 45, 8. Ioh. 3, 34*. Maneamus itaque in recta sententia, profiteamur illustre vaticinium de Christo praecipere, et de expiatione nostra, peccatorumque nostrorum, quam obedientia sua activa, et passiva, effecit, eoque vaticinia de Redemptore cuncta in Veteri Testamento data implevit, gratiamque nobis converentem, et justificantem, et sanctificantem, promeruit, ut fide in ipsum sancte vivere et salvari possimus, quique ad id unctus est Spiritu Sancto, et donis tum finitis, tum infinitis instructus secundum humanam naturam in hypostasim FILII DEI assumptam. Sic verbo DEI, sic complemento vaticinii, egregie respondentem Oraculi Divini habemus sensum, nec ulla arte vanissima nobis opus est, ad eum inveniendum, sed solallitera du-

ce, ad rem ipsam, quae proponitur, attendentes, veritatem discimus, obtinemus, fidei et salutis nostrae proficuum, et necessarium. Habet interim Vir Illustris aliquas adhuc quaestiones, quandonam Christus unctus sit? et quomodo tempus unctiois ad tempus LXX hebdomadam se habeat? quae Virum illustrem nihil quidquam juvant. Quemadmodum enim priorem ex quovis Compendio, vel Systemate, Theologico secundum Scripturam Sacram solutam invenire poterat, factam nimirum unctioem in conceptione, publicatam, publice testatam a Patre, et Spiritu Sancto, ad Baptismum Christi: Ita rite applicatis ad LXX hebdomades calculis veris, quo hebdomadam tempore ponenda sit unctio, palam fiet. Verum de his proxime plura dabimus.


Vos, O. O. Cives Honoratissimi, ipsa Christi satisfactione omnino impleta esse, quae angelus nunciavit, et praestita nobis per Christi Redemptoris sanctissimi meritum infiniti Valoris beneficia, per nuntium divinum praedicata, esse, cohibitam esse vim, dominiumque, peccati, cum reatu ejus: Peccatorum remissio ut nobis gratis concedi posset, per Redemptoris expiationem peccatorum nostrorum, nostramque cum Deo reconciliationem, effectum, et aeternam justitiam Redemptoris adductam, hinc data quondam vaticinia, isthaec praenunciantia impleta esse, per Messiam, Iesum Nazarenum, eaque omnia plenissime per ipsum praestita, per ejus Resurrectionem e mortuis, invicto et fidem divinam fundante argumento, evictum esse: Haec, inquam, omnia pientissima mente perpendite, gloriosissimam e mortuis Resurrectionem Redemptoris intensissimo gaudio celebrate, tantisque praestitis vobis divinis beneficiis dignos vos per gratiam Redemptoris factos esse, summa fide et vitae sanctimonia, tum durante hoc sacro Festo demonstrate, tum ad usque vitae vestrae.

F I N E M.

P. P.

SVB SIGILLO RECTORALI IPSA PASCHATIS
FESTA DIE A. R. O. clbcccclxxvii,






7

fuo Variantes effingere nostros Criticos videas, et pro arbitrie suppressere. Magnopere interim optassem, vel unicas Vir illustris b. CHRIST. BEN. MICHAELIS ante contulisset adhibita ingenii sui acie egregias *Annotationes in Daniele*, certe non dubito locum facturum fuisse veritati, nec futurum fuisse, ut in sententiam incideret sensu destitutam. Namque ex ipsa Iudaeorum confessione stante templo secundo nullum fuit Oleum sanctum, quo sanctuarium unctum sit, vel potuerit ungi. Testatur id est ex Iudaeorum confessione LVNDIVS in den alten Jüdischen Heiligthümern p. 159. Testatur est Dnus PRIDEAUX in N. und N. Fest. in einer Connexion ff. Th. 1. B. III. p. 201. excirans Doctores Ebraeos in *Talmud Hierosolymitano* in *Taanith* c. 2. confessos *Oleum sanctum*, stante templo secundo, fuisse nullum. Quid ergo? Num Angelo tribuendae sunt voces mente cassae? Nullatenus. At de sanctuario, et connexis, verba intelligi nullo modo possunt, quia nullum fuit stante templo secundo oleum sanctum. Ergo nihil remanet, quam explicari de Christo, qui est Sanctorum Sanctissimus *Ebr. 7, 27*. Caeterum parum refert, an in *Masculino* transponere velis, et Sanctus Sanctorum ungetur, an in *Neutro*, Sanctum Sanctorum. Namque etiam Angelus Gabriel is ipse, qui Danieli nuntius divinitus missus est, etiam in neutro genere Christum dicit τὸ ἄγιον *Luc. 1, 45*. Quoad sensum autem nemo nisi Christus intelligi potest, qui unctus est Spiritu Sancto, oleo laetitiae, sine omni mentura, *Pf. 45, 8. Ioh. 3, 34*. Maneamus itaque in recta sententia, profiteamur illustre vaticinium de Christo praecipere, et de expiatione nostra, peccatorumque nostrorum, quam obedientia sua activa, et passiva, effecit, eoque vaticinia de Redemptore cuncta in Veteri Testamento data implevit, gratiamque nobis convertentem, et justificantem, et sanctificantem, promeruit, ut fide in ipsum sancte vivere et salvari possimus, quique ad id unctus est Spiritu Sancto, et donis tum finitis, tum infinitis instructus secundum humanam naturam in hypostasin FILII DEI assumptam. Sic verbo DEI, sic complemento vaticinii, egregie respondentem Oraculi Divini habemus sensum, nec ulla arte vanissima nobis opus est, ad eum inveniendum, sed solalitera du-

C



the scale towards document